



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologiæ Polemicæ Universæ**

**Pichler, Vitus**

**Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXIII.**

§. 4. De Merito bonoru[m] operum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39374**

mitibus. Caterum si bona opera sūt necessaria necessitate præcepti & voluntatis Divinæ ( ut dicunt Lutherani, licet male, cum potius deberent dicere impossibilia, eo quod præcepta observari nequeant ) hoc ipso erunt necessaria necessitate medijs; quia necessitate medijs tenemur observare mandata Dei. Mat. 19. facere voluntatem æterni Patris. Mat. 7. Deum & proximum diligere &c. Denique necessarium non est fiduciam ponere in bonis operibus; quando autem & quomodo possumus, dicemus §. sequente.

Excipiunt 2. Promissiones Evangelij sunt gratuite: ergo non sunt conditionata: ergo bona opera ne quidem *ut conditio sine qua non* necessaria sunt ad salutem. R. N. C. nam esse gratuitum & esse conditionatum sibi non opponuntur. Ipsa conditio, scilicet fidei, pœnitentiæ, & aliorum operum, sine quibus obtineri salus non potest, Deo ita ordinante, est gratuita, hoc est, gratis à Deo posita; & ideo, quamvis promissiones Evangelij sint conditionata, tamen rectè vocantur etiam gratuita.

## §. IV.

*De Merito bonorum operum.*

81. Sciendum 1. Meritum supernaturale, de quo hic sermo, sic posse defini: *est obsequium Deo factum, ex se potens movere ad retributionem præmij supernaturalis.* Est duplex, aliud vocatur *de condigno*, vel meritum simpliciter, aut meritum ex justitiâ, meritum propriè dictum. Aliud *de congruo*, vel meritum secundum quid, nixum liberalitate, aut impropriè dictum. Itaque *meritum de condigno* est opus, quod ex intrinseco suo valore & dignitate potest æquare æstimationem præmij, illudque exigit ex debito justitiæ. *Meritum de congruo* est opus, quod suo valore non adæquat æstimationem præmij, habet tamen congruitatem, ut deceat ei conferri præmium, quamvis non sine liberalitate præmiantis. Præter hæc merita potest considerari tertium *de vi-*

*gore justitiæ*, quod scilicet exigit præmium independentem ab omni gratiâ & liberali acceptatione præmiantis, cujusmodi tamen gratiâ & liberali promissione aut acceptatione nititur meritum de condigno.

Sc. 2. Ad meritum de condigno requiri varias condiciones. 1. Ex parte operis, ut sit actus liber, moraliter honestus, ita ut ex nullo capite vitietur, & supernaturalis. 2. Ex parte personæ merentis, ut sit in statu gratiæ, & nondum extra statum viæ. 3. Ex parte Dei, ut intervenierit aliqua promissio Divina, pactum, vel revelatio de conferendo præmio; licet enim opera hominis justî, seu in gratiâ constituti, ex intrinseco valore habeant proportionem & æqualitatem cum præmio, illudque connaturaliter exigant independentem ab omni promissione Divi-

na, si tamen ista promissio, pactum, vel revelatio non adsit, non determinatè & necessariò connectuntur cum præmio, eò quòd Deus tanquam supremus Dominus opera hominum exigere possit mille titulis alijs. Ut ergo nascatur debitum ex parte Dei, & opera nostra determinatè connectantur cum præmio, requiritur gratuita Dei promissio & acceptatio. Et hinc redditur ratio, cur animæ in Purgatorio per suos actus bonos nihil mereantur, & cur Christus sit Redemptor hominum, non dæmonum; cum ejus opera de se essent condigna etiam ad redimendos Angelos.

§2. Sc. 3. Catholicos docere 1. opera bona hominis justificati (seu in gratia sanctificante constituti) esse verè merita, eumque bonis operibus verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, & gloriæ augmentum. Et hoc definitum est in Concilio Tridentino. 2. Eundem hæc mereri de condigno, quamvis in voce dissenserint olim pauci quidam, adeoque ejus merita esse merita justitiæ: quale autem hoc sit genus justitiæ, an distributiæ, vel commutativæ, an providentialis tantum, parum refert. 3. Neminem posse mereri gratiam æternam, nec de condigno, quia ad omne meritum prærequiritur auxilium gratiæ, consequenter aliqua gratia prima debet esse, quæ antecedit omne meritum. 4. Gratiam habitualem seu justificantem posse hominem mereri de congruo per sua opera bona, præsertim per contritionem, per hæc enim pro-

ximè disponuntur peccatores ad obtinendam justitiam, per alia verò opera tantum remotè; nec plus ad meritum de congruo requiritur, quam ut retributio sit prudens & DEUM decens: Si autem præcessit actus supernaturaliter bonus, retributio est decens, & defacto etiam promissa contritioni &c. 5. Eandem gratiam habitualem primò justificantem non cadere sub merito de condigno. 6. Justum non posse mereri de condigno auxilium perseverantiæ in bono, posse tamen de congruo, cum totus valor meritorum de condigno adæquetur per augmentum gratiæ habituales & gloriæ. 7. Utrum peccator per contritionem, per quam de congruo meretur primum gradum gratiæ sanctificantis, eumque in eodem instanti acquirit, mereatur de condigno vel tantum de congruo primum gradum gloriæ, seu vitam æternam simpliciter, certum apud ipsos non est, licet probabilius sit, quòd tantum de congruo.

§3. Sc. 4. Sectarijs nostris merita bonorum operum prorsus exosa esse; & ideo bonis operibus absolute negant omnem merendi vim, etiam de congruo, præsertim circa negotium justificationis & salutis obtinendæ, ubi Gerardus tit. de Justif. §. 159. etiam fidei, per quam tamen solam justificari & salvati dicit peccatorem, negat omne meritum, clarè contra S. Augustinum, qui ep. 105. ait: *Neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides illam impetrat: neque enim nullum est meritum fidei.* Concedunt tamen 1. bona opera esse quidem meritoria, at non vitæ æternæ, aut justificationis, sed tantum

tum premiorum temporalium aut spiritualium, & accidentalium in caelo; nam in premio substantiali omnes Sanctos dicunt esse æquales in caelo. 2. Non esse meritoria ex propria dignitate & intrinseco valore, sed *solum* ex misericordia, gratia, & indulgentia DEI, ac ratione fidei nostræ. Unde meritum de condigno penitus abominantur etiam in iustis, & mercedem *debiti*, solum admittentes mercedem *gratia*.

84. Sc. 5. Duplicem nobis esse cum modernis Lutheranis litem. 1. An bona opera sint aliquo modo meritoria ipsius vitæ æternæ? 2. An sint meritoria de condigno, ita ut DEUS teneatur ex iustitiâ debito pro bonis operibus dare premium vitæ æternæ? Intellege non ex iustitiâ rigore, ubi nulla intervenit gratia & gratuita promissio; nam Catholici fatentur, quod vitam æternam nullo modo mereri possit homo sine gratia DEI tum habituali; tum actuali præveniente & cooperante, item sine prævia facta promissione DEI gratuita. Quibus tamen non obstantibus docent, DEUM obligari ex aliquo iustitiâ debito dare premium vitæ æternæ ijs operibus, quibus id promissit, & quidem propter eorum dignitatem intrinsecam, quia sunt opera filiorum.

85. Dicendum 1. Homo peccator (scilicet in peccato mortali constitutus) per sua opera bona nihil meretur de condigno, adeoque ejus opera non sunt meritoria vitæ æternæ, nec remissionis peccatorum & gratiæ sanctificantis de condigno, licet de congruo meritoria esse rectè dicantur vel immediatè, ut contritio, vel mediatè, ut alia opera pia,

scilicet preces, eleemosynæ &c. Prima pars, quod non sint meritoria de condigno, probatur facile; quia ex terminis absurdum est, eum, qui propter peccatum est inimicus DEI & dignus æterno supplicio, de condigno mereri vitam æternam &c. Et utique *odio sunt DEO impius & impietas ejus*. Sap. 14. Altera pars, quod rectè dicatur meritoria de congruo, patet inde, quia ad meritum de congruo plus non requiritur, quam ut sit prudens & DEUM decens retributio: sed si actus est laudabilis in se & supernaturalis, cujusmodi etiam in peccatoribus dantur, per quos se debent disponere ad justificationem, est prudens & DEUM decens retributio: ergo. Adde, quod Scriptura S. dicat, bonis operibus placari Deum, uti Hebr. 3. *Beneficentia & communitio nolite oblivisci, talibus enim hostijs promeretur DEUS*. Unde S. August. ep. 105. *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat*. Et in Pl. 50. *Nunivita penitentiam egerunt, & certam misericordiam meruerunt*.

86. Dicendum 2. Homo iustus (scilicet in gratia constitutus) per sua opera bona meretur de condigno vitam æternam & augmentum gratiæ justificantis. Sed quia de primo potissima controversia est, an scilicet bona opera hominis iusti sint meritoria vitæ æternæ (abstrahendo, utrum primus gradus vitæ æternæ, vel tantum subsequentes cadant sub meritum de condigno, de quo Catholici adhuc litigant) ideo de hoc

Probatum assertio 1. ex Scriptura, ex qua textus innumeri adduci possent,

sent, ego tamen eos ad duplicem classem restringo. Ad primam classem revoco eos, qui vitam aeternam appellant & promittunt tanquam mercedem, debitum, coronam iustitiae, denarium ex conventionem & pacto &c. scilicet Mat. 5. *Merces vestra copiosa est in caelis.* 1. Cor. 3. *Unusquisque mercedem recipit secundum suum laborem.* Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* 2. Tim. 4. *Proposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Mat. 20. *Conventionem autem falla cum operarijs ex denario diurno.* Si igitur Scriptura accipitur in sensu proprio, ut debet, manifeste infertur, meritum hominis iusti esse quoddam meritum iustitiae, consequenter de condigno. Ad secundam classem textuum pertinent illi, qui bonis operibus tribuunt intrinsicam dignitatem, & causalitatem ad vitam aeternam obtinendam. Uti Coloss. 1. *Ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes.* 2. Thessal. 1. *Ut digni habeamini in Regno DEI, pro quo etiam patimini.* Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Mat. 25. *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum &c. esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* Et v. 21. *Quia super pauca fuisi fidelis, supra multa te constituam. intra in gaudium Domini tui.* Jac. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit DEUS diligentibus se.* Ergo opera hominis iusti sunt digna premio vitae aeternae, & illius causa,

quod indicant etiam particulae causales enim, quia, cum &c. sed utique non causa physica & efficiens: ergo moralis & meritoria. Adde, quod ipsa Scriptura meritum expresse tribuat operibus: *Misericordia faciet locum unicuique secundum meritum suorum operum.* Eccli. 16.

Confirmatur ex SS. PP. S. Cyprianus de Unit. Eccles. ait: *Iustitia opus est, ut promereri quis possit DEUM Iudicem, praeceptis eius & monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.* S. Chrysost. to. 5. l. 1. de Provid. *Nunquam profecto, cum iustus sit DEUS, tot sperneret, si ve malos impunitos ex vita migrare, si ve bonos hic innumeris incommodis & cruciatibus affici, si non utrisque variam in futuro saeculo mercedem pro meritis parasset.* S. August. l. de Nat. & grat. c. 2. *Non est iniustus DEUS, qui iustos fraudet mercede iustitiae.* Et ep. 105. cit. *Nullane sunt merita iustorum? sunt plane. Sed ut iusti fierent, merita non fuerunt.* Rursus ti. 67. in Joan. *Quia et si alius est alio iustior, alius alio sanctior: in domo Patris mei mansiones multae sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito.* Item serm. 226. de Tempore. *Videte (barissimi, quantum sit eleemosyna meritum: Angelum meruit habere Operarium.* Loquitur de B. Tobia. Atque l. 50. homil. 14. hom. in 2. Tim. 4. *Bonum certamen certavi, opus est, cursum consummavi, opus est. fidem servavi, opus est, superest mihi corona iustitiae, merces est &c.*

In Psal. 100. *Non dicit donat, sed reddet. Quando donabat, misericors erat, quando reddet, Iudex eris &c.* In Psal. 83. *Quid tibi reddat, nisi quod debet? Unde tibi debet? debitorem ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo.* Serm. 16. de Verbis Apostoli: *Debitorem se fecit DEUS nobis, ut illi dicere possimus: redde, quod promissisti, quia fecimus, quod iussisti.* S. Bernardus l. de grat. & lib. arbit. *DEI promissum appellat Apostolus suum DEPOSITUM, promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex iustitia persolvendum.* Omnis alii Patres Concilii Araus. II. Can. 18. clarè asserunt: *Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia DEI, qua non debetur, praecedit, ut fiant.* Unde rectè iterum S. August. dixit: *DEUS, cum coronat nostra merita, quid aliud coronat, quam sua dona?* Quia scilicet nostra merita fundantur in gratuita promissione DEI, tanquam in radice, & sine ipsius gratiae auxilio fieri non possunt.

Prob. 2. ex ratione. Ille inter homines censetur verè aliquid mereri & de condigno, qui facit aliquid opus, cui alter promissit primum sub conditione, si fiat tale opus (nec obstat, quod alter gratuito promiserit, & vires ad faciendum illud opus gratuito concesserit) ergo etiam homo iustus verè & de condigno aliquid meretur apud Deum, scilicet vitam aeternam, si praestet illa opera, quibus Deus promissit vitam aeternam sub ea conditione, si fiant; etiamsi ex gratia promiserit, & ipse suppeditet vires ad ea opera praestanda. Ant. declaratur exemplo.

Sit aliquod mancipium Regis, aut Rex ex mera gratia donat agrum, & omnia necessaria ad colendum agrum, ac insuper liberale pactum ineat promittens mancipio ingens primum, & omnem agri fructum, si strenuè laboraverit in colendo agro. Quo casu Rex primum & fructum promissum tenetur solvere suo mancipio non tantum ex fidelitate, sed etiam ex iustitia propter opus & laborem de se primum dignum; quamvis secluso gratuito dono & promissione liberali Rex ad nihil fuisset obligatus, & mancipium nihil sibi, sed omnia regi lucrari debuisset. Sic se habet res inter hominem & DEUM, qui ex liberalitate promissit homini vitam aeternam, si certa opera fecerit, & vires gratuito ei concedit ad ea facienda. *Si vis ad vitam ingredi, serva, man mandata.* Mat. 19. *Omnis, qui reliquerit domum &c. vitam aeternam possidebit.* ibid. Huc etiam pertinet parabola de quinque talentis Mat. 25. Itaque vita aeterna gignitur ex gratia tanquam patre, & ex merito tanquam matre.

Confirmatur 1. promissio, praesertim sub conditione alicujus operis faciendi, parit obligationem iustitiae; sed Deus vitam aeternam promissit 1. ad Titum, & quidem *diligentibus se.* Jac. 1. Confirmatur 2. Deus est remunerator iustus: ergo debet rectè factis mercedem tribuere & perperam factis poenam: ergo sicut peccata propter demeritum suum punit poena & morte aeterna, ita bonis operibus propter meritum suum competit vita aeterna.

Sol.

*Soluntur Objectiones.*

27. Ob. 1. In SS. Litteris vita aeterna adscribitur Misericordiae Divinae: & vocatur *gratia*, *Νάγια* *eine Gnade*, Gal. 6. v. 23. ergo non debetur ex iustitia, & merito bonorum operum. Item: *Non in justificationibus nostris prosternimus preces nostras: sed in miserationibus tuis magnis*, Dan. 9. ergo nulla sunt nostra merita apud Deum, in quibus possemus confidere. *Non enim justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, Psal. 142.

R. Vita aeterna, quamvis illam mereri possimus, tamen recte tribuitur Misericordiae Divinae ex triplici capite, 1. Quia Deus ex mera misericordia promittit vitam aeternam certis operibus, 2. Quia primam gratiam tam actualem, quam habitualement dat nobis gratis, & sine merito nostro saltem de condigno, 3. Quia per suae gratiae auxilium gratuito dat nobis vires, ad bene & meritoe operandum necessariae. Unde vita aeterna ex his capitibus recte vocatur *gratia*, quia Deus ex gratia se constituit nostrum debitorem liberaliter promittendo, & ut ex iustitiae debito nobis solveret praemium, vires ad merendum praebendo. Textus ex Dan. citatus non dicit, quod in homine nulla sint merita, sed forte ad summum excuspi potest, ea non esse alleganda coram Deo, praesertim a peccatoribus (in quorum persona loquitur Daniel), quando Deo supplicamus: quod recte fit, praesertim cum etiam iusti ordinarie certi non sunt,

an habeant vera merita apud DEUM. Deinde non est ad rem, quia ibi non orabatur pro vita aeterna, sed pro liberatione ab afflictione temporali. Fateatur enim: nos de condigno mereri non posse bona temporalia, opes, honores, sanitatem, vitam longevam, & alias ejusdem commoditates; quia hujusmodi non sunt promissa bonis operibus iustorum, bene autem vita aeterna. Alter textus sic intelligi potest, vel quod viribus naturae non justificemur, vel quod non perfecte sumus mundi propter leves defectus & peccata venialia, vel quod facta comparatione ad perfectionem Divinam videatur esse immundum, quidquid in sua ratione mundum est.

Dices 1. Vita aeterna in Scripturis vocatur *hereditas*, Eph. 1. & 5. Coloss. 3. Atqui hereditas non debetur filijs ex merito, sed ex solo jure filiationis, vel adoptionis: ergo. R. Vita aeterna est omnino hereditas, quia nemini datur nisi filijs DEI, & quidem respectu parvulorum post Baptismum decedentium est pura hereditas: at respectu adultorum est quidem hereditas, at non pura, sed simul est merces: hereditas est, quia adulti, in gratia decedentes, sunt filij DEI adoptivi; merces est, quia fecerunt opera, quibus illa à DEO promissa & alligata est. DEUS enim hac conditione nos adoptavit in filios, ut observando ejus mandata (non aliter) obtineremus hereditatem, adeoque titulo meriti. Sic ipse Christus noluit

sui nominis exaltationem solo hereditatis titulo habere, utpote Filius DEI naturalis, sed eam etiam meritis suis obtinuit. Phil. 2. Hinc pariter & nobis utroque & hereditatis & meriti titulo obvenire vitam æternam insinuavit Paulus Cololl. 3. dicens: *Scientes, quod à Domino accipietis retributionem hereditatis.*

89. Dices 2. Datur quidem nobis à DEO aliqua retributio, sed non propter nostra opera, sed ex mera gratia. Unde dum vita æterna in Scripturis vocatur merces, non intelligenda est merces debiti, sed merces gratia. Siquidem Christus jubet: *Cum feceritis omnia, que precepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus.* Luc. 17. R. Retributio, que fit ex promissione facta sub conditione onerosa certi operis præstandi, si fiat illud opus, fit ex iustitia, non ex mera gratia, ut notum est inter Juristas & Theologos. Unde est merces debiti, & proprie dicta, respondens merito proprie dicto. Dein qua fronte dicunt Lutherani, mercedem in Scripturis non accipi proprie? quo fundamento? merces autem proprie dicta est *stipendium ex promissione onerosa redditum pro labore condigno.* Quod ad textum attinet: tales non Christus vocat servos ( utpote qui alibi dicit ad iustos, *non jam dicam vos servos, sed amicos.* Joan. 15. ) sed tantum vult, ut nos ita de nobis sentiamus ex humilitate, tum quia nihil ex nostris viribus solis possumus præstare, tum quia etiam per opera ex gratia facta non sumus Deo proprie utiles, sed tantum nobis. Potuisset quidem

R. P. Fiebler Theol. Polemica,

Deus nobiscum agere sicut cum mancipiis, sed ex misericordia sicut nos fecit filios & cohæredes Christi, ita promittit bene operantibus etiam mercedem. Deinde ibi sermo est de eo, qui nihil facit ultra id, quam quod debet ex pacto & præcepto; talis recipiet quidem debitam ex pacto mercedem, sed nullam gratiarum actionem, nullum honorarium, quod accepisset, si opera supererogatoria Domino grata præstitisset.

Dices 3. David ipse, quamquam conatus sit Legem totam observare, tamen à iudicijs Dei timuit, & coram Deo justificari non speravit; ait enim *Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Psal. 142. v. 2. R. actualis iustitia ordinariè habet admixta multa peccata venialia, propter que formidari potest strictum Dei iudicium: cum his tamen stat iustitia habitualis & amicitia cum Deo, qua dignificantur nostra bona opera ad meritum.

Ob. 2. Ut opus aliquod sit meritum, debet imprimis esse bonum & perfectum in se. 2. Non aliunde debitum. 3. Ex proprijs viribus perfectum. Sed nostra opera non sunt perfecta: imò propter imperfectiorem suam supplicio digna: sunt aliunde mille titulis Deo debita, nimirum creationis, redemptionis &c. & viribus gratia, non nostris facta: ergo. R. Ad 1. patet ex §. 1. hujus articuli, quòd dentur bona opera, & perfecta, quæ placeant Deo, & digna non sint supplicio. Ad 2. patet pariter ex §. 2. de operibus supererogatorijs, De n

M m m stiansi



etiamsi opera aliqua sint sub praecepto, tamen eatenus sunt nostra, quia in nostro libero arbitrio positum est, ea facere vel omittere. Est etiam, quod omnia nostra opera bona essent debita Deo mille titulis, si Deus vellet uti jure suo: defacto tamen illo non utitur, sed id quasi condonat, & in nos transcribit ex summa Bonitate, qua nos voluit Dominos actionum nostrarum, & se obligavit per liberam promissionem ad reddendam pro ijs mercedem, si ea facimus, quae ipse vel praecepit vel suavit. Non igitur aliunde sunt proximè debita DEO nostra opera, sed remotè tantum; quamvis enim omnia potuisset alio titulo exigere, non tamen defacto exigat, aut praecepit omnia, tamen defacto plurima non praecepit, & insuper ea, quae praecepit, non exigat gratis & sine proposita mercede. Ad 3. patet rursus ex dictis de libertate, quod opera bona partialiter sint à nostro libero arbitrio, partialitate influxus, ita ut opus bonum quodcumque sit totum Dei propter gratiam adjuvantem, sed non totaliter, & pariter totum sit nostrum, sed iterum non totaliter, quia Deus nobiscum & nos cum Deo operamur. Gratis autem requiritur, ut opus totaliter sit nostrum, totalitate influxus.

Ob. 3. Ut opus sit meritorium, requiritur, ut sit aliqua proportio & aequalitas inter opus & mercedem: sed inter opera nostra bona & vitam aeternam nulla est proportio & aequalitas, & idem est pro bonis operibus exigere vitam aeternam, ac *verumtamen* *einer* *vor* *ein*

*Bayrische Rube ein Königreich prae-*  
*tendiren wolte / ait M. Lomer in sei-*  
*nem Aufgang p. 365. Non enim*  
*sunt condigna passiones hujus temporis*  
*ad futuram gloriam 2. Cor. 4. Et uti-*  
*que finiti ad infinitum nulla est pro-*  
*portio, nam opera nostra durant val-*  
*de brevi tempore, retributio est aeterna*  
*&c. 2. Requiritur, ut opus illud*  
*asserat aliquam utilitatem & commo-*  
*dum illi, cui praestatur; al' as enim nulla*  
*ipsi deberur merces ex justitia.*

R. ad 1. Quavis opera nostra, profus materialiter & secundum se spectata, non essent digna & aequalia mercedi supernaturali & aeternae, seclusa promissione Divina, & supernaturalitate operum; tamen defacto digna sunt, & sufficienter proportionata, ita ut *momentaneum hoc & leve tribulationis nostrae aeternum gloriae pondus operetur in nobis. 2. Cor. 4. cit.* Sicut enim opera Christi omnia, licet materialiter spectata, minime habuissent valorem infinitum, & proportionem, dignitatem intrinsecam, ac aequalitatem ad praemium infinitum, habuerunt tamen defacto, quia fuerunt dignificata à gratia infinita, scilicet Verbo Divino Humanitati unito, & fuerunt opera filij DEI naturalis: ita opera nostra, quia informantur quasi, & dignificantur per gratiam Divinam, per quam sumus filij Dei adoptivi & consortes Divinae Naturae, redduntur intrinsecè digna omnis praemij, quod ipsis promittitur; & sicut haec gratia facit nos cohaeredes vitae aeternae cum Christo, licet hac seclusa essemus irae filij & gehennae digni, ita nostra opera *facit*

facit digna vitæ æternæ, etiam si in specie sunt leviora v. g. haustus frigidae proximo datus propter Deum. Unde responsio colligitur ad rusticam M. Lomeri similitudinem. Quod præmium sit æternum, opus autem sit modico durans tempore, profus nihil obest sufficienti proportioni; akas enim nec opera Christi patientis habuissent dignitatem intrinsecam ad dignè satisfaciendum pro penis æternis: neque delicta peccatorum essent dignæ penis gehennæ, utpote valde breves, & exigua respectu tantorum cruciatuum. Sicut igitur has contemptus Legis Divinæ facit dignas penas gehennæ, ita charitas Dei tum habitualis tum actualis opera bona facit digna gaudijs æternis. Adde, quod in Justitia distributiva non requiratur absoluta æqualitas inter meritum & præmium, sed tantum proportio quædam dignitatis: in Justitia commutativa verò promissio præmij sub conditione operis æqualitatem inducat, vel supponat. Ad 2. Negatur, quod opus debeat asserre aliquam utilitatem propriè dictam promittenti mercedem; quam enim utilitatem capit, qui cursoribus præmium proponit, ex obligatione solvendum victori? Utilitas impropriè dicta, scilicet gloria extrinseca, etiam in Deum redundat ex nostris operibus bonis.

32. Ob. 4. Quod Christus nobis abunde meruit, non possumus, nec debemus nos mereri: sed Christus abunde nobis meruit vitam æternam: ergo. Unde si opus est nostrò meritò, arguitur meritum Christi alicujus insufficientis.

R. P. Pioser Theol. Polemica,

entia, & Paulus malè dixit: *Non ex operibus iustitia, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Tit. 3. *Gratia estis salvati &c. non ex operibus, ne quis gloriatur.* Eph. 2. Ut igitur excludatur vana gloriatio, nihil meriti tribuendum est bonis operibus, sed omnia gratiæ Dei. R. D. Ma, non possumus mereri primò, principaliter, & eo modo, quo Christus id nobis promeruit. C. M. non possumus viribus dependenter à Christi merito nobis communicatis, & in ordine ad applicanda nobis merita Christi N. Ma. & sic distincta M. N. Conf. Nostra merita suntilla merita, per quæ nobis applicari voluit Deus merita Christi, & sic opera nostra sunt *applicatio meritoria*, non prima & principalia vitæ æternæ merita; quæ id ipsam meremur nobis in particulari tribui, quod Christus tanquam causa universalis meritis est omnibus. Neque id arguit insufficientiam meritorum Christi, sed potius efficaciam eorum commendat, quia sic non tantum promeruit nobis vitam æternam, sed etiam modum nobiliforem, quo nobis applicentur ejus merita, impetravit, scilicet vim merendi, & nobis applicandi non quomodocunque, sed per merita. Sicut gloriosum est viti, si ejus palmites floreat & fructum ferant, quia omnem succum & fertilitatem accipiunt à vite, ita & Christo gloriosa est nostra fertilitas & vis merendi, quam totam ejus meritis adscribimus. Apostolus loquitur de operibus vel Legis Mosaicæ vel Naturæ, sine fide in Christum & DEI gratia factis, quæ utique non

Mmm 2 non

non sunt meritoria vite aeternae. Bene tamen illa, quae in & ex gratia DEI fiunt, & quae excludunt vanam gloriationem; nam qui gloriatur intuitu operum ex gratia DEI factorum, non vanè & in suis operibus, sed gloriatur in Domino, quod licet.

93. Ob. 5. ex Patribus. S. August. in Pfal. 70. conc. 2. dicit: *tua, peccata sunt: merita, DEI sunt. Supplicium tibi debetur: & cum premium venerit, sua dona coronabit: non merita tua.* S. Bernhardus ser. 1. de Annunt. *Neque talia sunt hominum merita, ut propter ea vita aeterna debeatur ex jure, aut DEUS injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Dein Patres & Theologi communiter dicunt, DEUM premiari *supra condignum*: ergo nostra opera non sunt digna premio vite aeternae. R. Quid S. Augustinus & S. Bernardus sentiant de meritis bonorum operum, patet ex nostra probationis primae confirmatione; In textibus allatis, & in alijs, in quibus hi aut alij Patres videntur damnare merita, loquuntur de meritis naturae, & operibus, quae nec à gratia, nec à promissione Divina dependent, ut ipsimet se declarant in contextu. Dicunt ergo tantum, vitam aeternam non deberi meritis ex jure *absolutè*, quasi non praesupponerent gratiam & liberam promissionem DEI. 2. Quòd merita nostra non tam sint ex nobis, quam ex DEI misericordia principaliter. 3. Quòd ex humilitate, & propter incertitudinem propriae justitiae, prudenter ponamus fiduciam nostram in misericordia DEI, non in nostris meritis. Dum dicitur DEUS premiari su-

pra condignum, sensus est, quòd magis praemietur, quoniam opera nostra, materialiter & secundum se spectata, & exclusà gratià & promissione ac decreto DEI libero, mereantur. Dein opera nostra tamen possunt esse meritoria alijs premijs de condigno, licet DEUS ex mera liberalitate huic premio aliquid superaddat.

Quaeres adhuc 1. An possit collocari fiducia ( seu spes firma ) in meritis justorum, & bonis operibus? R. 1. posse id fieri absolutè, si quis habeat satis compertum, in se reperiri merita. Ratio est, quia fiducia de obtinenda salute nascitur partim ex fide, qua cognoscimus, DEUM vitam aeternam promississe bonis operibus tanquam conditioni adimplendae, partim ex notitia, quam habemus de hac conditione bonorum operum à nobis impleta. Quò firmior igitur erit fides, & major haec notitia, eò firmior & major erit fiducia tum in misericordia DEI, quae est causa principalis & efficiens salutis; tum in meritis, quae sunt causa meritoria & secundaria salutis. Sic Paulus confidebat, dum dixit: *Bonum certamen certavi &c. in reliquo reposita est mihi corona justitiae.* 2. Tim. 4. R. tamen 2. consultum & tutissimum communiter esse, fiduciam omnem in sola DEI misericordia & Christi meritis ponere. Ratio est, quia ordinariè ignorat homo, utrum justus sit, & consequenter an habeat vera merita. Si igitur non haberet, rectè non confidit in ipsis: si haberet vera & propria merita, nihil perdit, si illa ex humilitate non intueatur: nec ea DEUS propterea minus remunerabitur.

bitur, utpote iustus Judex. Et hinc Ecclesia orat in Canone Missæ: *Intra quorum nos consortium non affirmator meriti, sed venia, quesumus, largitor admitte.*

95. *Quæres 2. An licitum sit intuitu mercedis operari? R. affirmative. Decet id Christus, dum dixit: Quærite primum Regnum DEI. Mat 6. docet David suo exemplo: inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem. Psal 118. confirmat S. Aug. in Pl. 120. Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac. Confirmat praxis fidelium, & denique ipsa ratio; quia vita æterna est finis, nostra fidei & bonis operibus promissus: sed utique licet media referre ad finem, & intuitu finis operari. Improbandum tamen est servilis, merce-*

narius, & sordidus operandi modus illorum, qui solius mercedis intuitu operantur, ac ita, ut si merces nulla proponeretur, DEO nollent servire. Itaque principaliter agendum est bene propter DEUM, secundario etiam potest intendi nostra Beatitudo siue vitio.

Atque hæc, quæ de merito bonorum operum disputata sunt, bene intelligere & notare oportet, quia Sectarij nostri vix aliud magis averfantur, & nobis sapius obtrudunt, quam meritum bonorum operum, quod ipsi penitus negant, tam id, quod de congruo, quam alterum, quod de condigno appellamus. Ut scilicet locum habere possit præcipuus ipsorum fidei articulus de justificatione per solam fidem, ad quem nunc tandem delati sumus.

## ARTICULUS VI.

### De Justificatione peccatoris.

#### SUMMARIUM.

96. *Quid sit Justificatio peccatoris, & quæ illius cause: solam de causa formali & dispositiva seu instrumentali Justificationis licet est.*
97. *Juxta Sellarios Justificatio formalis nihil est aliud quam remissio peccatorum, & imputatio Justitiæ Christi extrinsecæ.*
98. *Juxta Catholicos vero est qualitatis supernaturalis infusio, quam qualitatem per modum habitus permanentem in anima vocant*
- Gratiam Habitualement, Sanctificantem &c.
99. *Peccator non justificatur formaliter per hoc, quod ipsi extrinsecè imputetur Justitia Christi, & sic peccata remittantur vel potius tegantur, sed per Justitiam propriam ipsi infusam à Deo, & ei intrinsicam.*
100. *Hæc Justitia formaliter justificans est qualitas permanens seu gratia sanctificans.*